infra partes alamannie ad fluuium
qui lindimacus vocatur. Iuxta quem
ad superiora tendentes peruenerunt
ad latum turicinum. Cumque per littus am-
bulantes venissent ad caput lacus
ipsius in locum qui tucconia dicitur. placuit
illis loci qualitas ad inhabitandum.
Porro homines ibidem commanentes cru-
deles erant et impii. simulacra cole-
ntes. ydola sacrificiis venerantes.
obseruantes auguria et diuinationes.
et multa que contraria sunt cultui diuino
superstitiosa sectantes. Sancti igitur homines
cum cepissent inter illos habitare. doce-
bant eos adorare patrem et filium et
spiritum sanctum. et custodire fidei veritatem.
Beatus quoque gallus sancti viri discipulus
zelo pietatis armatus. fana in quibus
demoniis sacrificabant igni succendit.
et quecumque inuenit oblata demersit
in lacum. Qua causa permoti. ira et in-
uidia sanctos insectabantur. et communi con-
silio gallum perimere voluerunt.
columbanum vero flagellis cesum. et
contumeliis affectum. de suis finibus
perturbare. Beatus pater cognito consilio
eorum zelo iusticie inspiratus est eis
talia dicens. Deus cuius prouidencia mundus
subsistit. et cuncta reguntur. fac super
caput generacionis huius reuerti con-
tumelias quas famulis tuis parauit.
Nati eorum facile pereant. et antequam
senescant per subitaneo stupore delir-
are cogantur. ipsique cum terra quam
incolunt dura potenciam dominacione
premantur. ut cunctis ignominia eorum
pateat in eternum. Et sic scriptum est. conuertatur
dolor eorum in caput ipsorum. et in verticem
illorum iniquitas ab ipsis patrata descendat.

v Post hec non timore persecucionis
perterritus. sed amore spiritalis
lucri persuasus. contumacium sterilem
turbam reliquit. ne inaniter corda
arida diucius irrogaret. que beniuolis
mentibus quamplurimum prodesse inter-
im potuisset. Pergens ergo inde
cum suis. peruenit in castrum quod
arbona vocatur. Et inuenit ibi presbiterum

Vide vl. torqua p[illegible] ratione. Qua Me[illegible] [illegible] [illegible]

Arbona.

bonitate conspicuum nomine willimarum.
Qui cum intuitus eum fuisset dixit Bndi-
ctus qui venit in nomine domini et reliqua. Cui
vir dei ita respondit De regionibus
congregauit nos dominus. Presbiter ergo apprehensa
dextera eius. duxit eum in oratorium. Et
postquam pariter orauerunt. introduxit
in hospicium. Qui pacem domini imprecantes.
deposuerunt sarcinulas suas. Postquam
vero recubuerunt. iussione abbatis gallus
diuina recitauit eloquia. profunda
reserans veritatis. Inter sancta doctrine
salutaris conuiuia. prudenciam viri
sacerdos miratus. a fletu se continere
non potuit. Toto autem septem dierum
circulo cum summo honore et diligencia
illis ministrauit. et quos carnalibus
fouit deliciis. ab ipsis cottidie pastus est
dapibus scripturarum. Inter sacre igitur
edificacionis colloquia. columbanus abba
presbiterum interrogauit. si sciret aliquem
in solitudine locum in quo cellula fieri
potuisset. custodiis aliquantulum regula-
ribus oportuna. Hospes scorum huius
inquisicioni respondit. In hac solitudine
locus quidam est. antique structure seruans
inter ruinas vestigia. vbi terra pinguis
et fructuariis prouentibus apta. montes
per circuitum excelsi. heremus vasta et immi-
nens oppido planicies copiosa. victum
querentibus fructum laboris non negat.
Et cum loci ipsius situm permulta laudasset.
indicauit nomen eius brigancium.

vi Illis igitur illuc ire cupientibus parauit
presbiter nauiculam. et imposuit remiges.
Venerabilis autem abba comitibus gallo
et quodam diacono nauem conscendens.
inuocato nomine domini ad locum desideratum
via recta peruenit. Egressi de nauicula
oratorium in honore sancte aurelie con-
structum adierunt. quod pro modum columbanus
imprecisam renouauit honore. Post
orationem cum per circuitum oculis cuncta lustrasset.
placuit illis qualitas et situs locorum.
Deinde oracione premissa. circa oratorium
mansiunculas sibi fecerunt. Reppererunt
autem in templo tres ymagines ereas
deauratas. parieti affixas. quas populus

Vbi bodi(?) Galli [illegible]

Brigantiu(?)